



ALEXANDRI à SUCHTEN, PHIL.
& Med. Doctoris, ad Brysogonum
Sophistam Elegia.

Dehortatur à Chemia falsa, & viam ad artem
veram indicat.

TU quoque divitias qui quæris ab artibus istis,
Cum furiis unà quas liquet esse satas.
Spemq; metumq; inter, fumoso in fornice pendes,
Et versas animo millia multa tuo.
Forsan inaurato transformas pulvere lunam,
Aut strepitum tincta de Iove tollis aqua.
Aut Venerem Phœbi, quam respuit ipse, sororem
Arte facis magica, Mercuriumque necas:
Sive tuum Saturnus opus, seu Marte teneris,
Desine, stultitia hæc attenuantur opes.
Vidi ego, qui, nugis postquam rem perdidit istis,
In mare profiliens piscibus esca fuit.
Incubuitq; alius ferro; stultissima turba,
Aureus è cælo non cadit iste lapis.
Hûic opus ingenio est, tectos qui noscere sensus,
Quæq; latent magica vult rudimenta scholæ,
Hæc inquire prius, nam non sunt cognita vulgo,
Sed veniunt alio sacra petita loco.
Est aliud, quam quod promittit litera, dives
Chemia contemtis virgo superba procis.
Et licet hoc vanum est, quod tu moliris in istis
Artibus, haud ideò Chemia vana mea est.
Sed quia de Cælis orta est, oditque prophanos,
Sulphureis fumis est inimica tuis.